



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XXII. (a) Cœlestinus III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

NOTÆ

Coelestinus III.] Sic legitur in secunda collectione, sub hoc ipso titulo, capite 5.

nullibi tamen exprimitur Prælatus, cui rescribat Pontifex; unde cognosci non potest, de quibus Canonicis in presenti agatur. Commentarium hujus textus dedi supra in cap. 4.

CAPUT XXII.

(a) Coelestinus III.

Non est in potestate hominum, cum plantant arbores, vel aliqua terræ semina mandant, quid eis satio sit, vel plantatio redditura, cum juxta verbum Apostoli ad literam exponendum, neque qui plantat aliquid plenè faciat, neque qui rigat, sed Deus, qui tribuit incrementum. Audivimus autem, quod quidam vestrum de vineis, olivetis, canna mellis, & frugibus non nisi primò deductis expensis seminum, & laboris, vel agriculturæ decimas curant Ecclesiis exhibere. Reverà sicut sancti Patres in suis tradiderunt scripturis, de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, & negotiatione, & de ipsa etiam militia, & de venatione, & de omnibus bonis decimæ sunt ministris ecclesiæ tribuendæ, ita etiam ut qui his solvere neglexerint, ecclesiasticâ debeant districtione percelli. Præterea si quis decimas Deo non dederit, quæ sunt tributa agentium animarum, & ex debito requiruntur, ad decimam partem, ut Augustinus docet, revocati meretur. Volumus igitur, & districtè præcipimus, quod antequam deducatis de cunctis vestris bonis collectis expensas, salvis privilegiis (b) Romanæ Ecclesiæ, decimas Ecclesiis, ad quas pertinent, cum integritate debita persolvatis.

NOTÆ

1. (a) **C**oelestinus III.] Ita legitur in secunda collectione, sub hoc titulo, capite 4. nullibi autem exprimitur Prælatus, cui rescribat Coelestinus; quod & in aliis epistolis ipsius Pontificis sæpe contingit, ut jam notavi.
2. (b) **R**omanæ Ecclesiæ.] Summus enim Pontifex potest privilegium exemptionis à decimarum solutione concedere, capite 2. de Eccles. adf. probavi latè supra, in capite 4. Quod

procedit duabus conditionibus concurrentibus. Prima, ut congrua sustentatio ministris Ecclesiæ suppetat, aliàs nec consuetudine, privilegio, aut prescriptione obligatio decimarum minui, vel mutari valet. Secunda, ut adsit justa causa concedendi similem exemptionem. Causas autem minuendi obligationem decimarum ex veteribus Historicis refert Lemaitre libro 1. de decimis, capite 5. & jam adduximus in capite 4. hoc titulo, ex quo commentario præiens petendum est.

CAPUT XXIII.

(a) Coelestinus III.

Ex transmissa querela B. Dolen. Archidiaconi Rectoris Ecclesiæ de N. intelleximus, quod cum miles quidam molendinum quoddam ad ventum in terra quadam infra fines parochiæ suæ, de cujus terræ proventibus decimas solebat Ecclesiæ percipere memorata, construxit, de ipsius molendini obventionibus decimas ei solvere contradicens, in salutis suæ periculum detinere non veretur. Quia igitur fidelis homo de omnibus quæ (b) licitè potest acquirere, sine diminutione decimas erogare tenetur, disc. v. p. A. f. m. quat. prædictum militem ad solutionem decimarum de obventionibus, quæ de opere dicto molendino sibi proveniunt, sine diminutione aliqua per censuram ecclesiasticam, subl. ap. obft. compellatis.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

Cgg

NOTÆ